UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm || Vitae aulicae

Schopper, Hartmann

Francof. Ad Moen., 1584

VD16 R 1015

Capvt V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70432

Visual Library

Inter fidos amicos alter alterum amiciſſimè admonebit de futuro incõmodo, & quiduis prius ob fidelem & egregium amicum ſuſtinebit, adeoque animam relinquet potius quàm eum deſerat.

Quod nihil viro magno ſit aptius, nihil præſtantius, quàm vt nullis fortunæ iraſcentis ictibus, nullis rurſus arridentis succeſſibus exagitari ſe patiatur, ſed ſemper ſui ſit ſimilis. Atq; huc alluſit Horatius, vbi fortem virum his verſibus ſcitè deſcripſit:

Iuſtum & tenacem propoſiti virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis Tyranni
Mente quatit ſolida: neq; Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ:
Nec fulminantis magna manus Iouis:
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

CAPVT V.

ARGVMENTVM.

Laudibus extollit proprios Vulpecula natos,
Quòd patrios norint fingere mente dolos.
Heu malè filiolis patris indulgentia parcit,
Maturè erudias, qui cupis eſſe bonos.

IN ædibus conſederant,
Cum filios Greuinckio
Monſtrat ſuos Vulpecula,
Amice dicit optime,
An hæc meorum liberûm
Natura vobis perplacet?

Quid quæſo Reinhardeinij
De moribus recolligas,



Audaciaq́; nobili,
Dic ſentias Roſſelij.
Parentis hos ſimillimos
Fuiſſe dicent poſteri.
Vix nanq; paruis vagiens
Vterq́; cunis exijt.
Et ambo iam cibaria
In rure quærunt ſtrenuè,
Pullosq́; gallinaceos,
Et pinguiores anſeres,
Auiculasq́; prendere
Norunt paternis fraudibus,
Et copioſa pabula
Hinc ſæpè per mirabilem
Sibi parant induſtriam.
At non tamen per omnia
Debent vagari liberè,

Reinike laudes filiorũ ſuorum, quas honeſtius tacuiſſet, explicat. Verg. A teneris cõſueſcere multum eſt.

Am

Aut ambulare paſcua,
Quouſq; norint omnia
Venantium veſtigia,
Canumq; vim compeſcere:
Omneſq; caſſes rumpere,
Et machinas euadere.
Tum ſingulis terreſtrium
Vt exhibere beſtijs
Poßint honorem debitum:
Grimbardus inquit, omnibus
Debebat id parentibus,
Et eſſe curæ matribus,
Suos honeſtè ſcilicet
Vt educarent liberos.
Nam ſempiternam gloriam,
Paritq; dulce gaudium:
Præclara nempe filij
Præſtantis educatio.
Quæ dum loquuntur inuicem,
Suadent ſoporem ſidera,
Proinde dulci languida
Dant ambo ſomno corpora.
Quouſq; manè Lucifer
Os extuliſſet aureum.
Iturus ergo Reinike
Hortatur ipſam coniugem:
Vt rem vigil domeſticam
Procuret, atq; liberos:
Iterq; cum Greuinckio,
Ad Regis aulam ſuſcipit.

Greuinckius Vulpi reſpondet.

Reinike cũ Greuinkio conferunt ſe cubitum

Reinike ad Regem profecturus rẽ familiarẽ liberosque vxori commendat.

HINC DISCENDVM.

1. Libri in præſentia ſuarum nõ laudari debent à parentibus.

Quàm iucundum & honorabile ſit pios, obedientes, modeſtos, & benè educatos habere liberos. Id tamen inprimis abſurdum & indecorum parenti, ſi filiorum ſuorum virtutes ipſis præſentibus & audientibus commemorat. Nam id quod hîc Renike in filiis ſuis commendat, honeſtius tacendo præteriiſſet. Tenera ſanè ætas inſtar mollis ceræ ad quiduis, ſiue bonum ſiue malum ſit, facilimè flecti poteſt. Qui ergo liberos nactus fuerit, omnem lapidem moueat, quo inprimis ad gloriam Dei inflammentur, Deinde ad ſuiipſius commodum, proximique vtilitatem eorum dirigantur actiones. Ad pietatem verò eos accendet, ſi à teneris ſtatim vnguiculis ad preces, timorem Dei, omnemque Eccleſiæ cultum aſsidua exercitatione eos aſſueſecerit. Et hinc purus, apertus, ſimplex & caſtus in ipſis excitabitur animus. Caueat porrò ne in ocio, q̃ Sathanæ puluinar eſt, eos nutriat, ſed artibus inſtruat, & laboribus exerceat continuis: quo diſcant inopem defendere vitam, nec mendicitatem perpetiantur, aut furtum faciant. Et huc quidem omnem curam, operam, ſtudium & induſtriam diriget. Natura enim cùm in vetitum ſemper nitatur, cupiatque negata, per ſe parum, aut nihil præſtare poteſt. Idcirco in prima ætate virgis ſæpè emendandi & corrigendi ſunt pueri; ne in ſenectute carnificinam ſubeant, aut alia tormen-

Qua ratione liberi à parentibus educandi ſint.

~~mentorum perferant genera. Parenti autem quid in hoc ſæculo honorabilius, aut magnificentius contingere poteſt, quàm ſi glorioſos in grandiori æuo & magnificis virtutibus ornatos ſuos cõſpiciat liberos? Quod ſine diligentia aſsidua, aut frequentibus ad Deum effuſis precibus, rarò aut nunquam conſequentur. Heroum enim filij (vt prouerbio dicitur) plerumque noxæ ſunt. Et quam difficile ſit oriri bonos filios à magnis viris, oſtendit Africani filius, fœde à paruulo Antiochi præſidio captus.~~

Qui etiam præturam petiturus candidam togam turpitudinis maculis obſolefactam in campum detulit. Sic Q. Max. Fabij filius tam perditæ fuit luxuriæ, morumq; fœdorum, vt Q. Pompeius prætor vrbanus paternis bonis ei interdixerit: publiceq; ſit exhæredatus. ~~Sic Clodij Pulcri filius eneruem frigidamque vitam ſub meretricis imperio egit.~~ Minerua, 2. Homer. Odyſſ. ait, paucos filios honeſtos naſci ex honeſtis parentibus: ſed ſequentem ſemper peiorem eſſe priore ætatem. Vnde Horatius inquit:

Exempla liberorũ qui à magnis orti parentibus, degenerarunt.

~~*Damnoſa quid non imminuit dies?*~~
~~*Ætas parentum peior auis, tulit*~~
~~*Nos nequiores, mox daturos*~~
~~*Progeniem vitioſiorem.*~~

Lib. 3. Carminum.

Sed verba Spartiani ſuper ea viſum eſt reponere. Ea enim ſunt in vita Seueri in hunc modum Et reputanti mihi Diocletiane Auguſte, neminem propè magnorum virorum

Spartiani hac de re ſententia.

optimum & vtilem filium reliquiſſe ſatis cla-
ret. Denique aut ſine liberis viri interierunt:
aut tales habuëre plerique, vt melius fuerit
~~de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere.~~
Romulus. Et vt ordiamur à Romulo, hic nihil liberorũ
Numa Põ- reliquit. Nihil Numa Pompilius, quod vtile
pilius. poſſet eſſe Reipubl. Quid Camillus? num ſui
Camillus. ſimiles liberos habuit? Quid Scipio, [illegible] Ca-
tones qui magni fuerunt? iam verò de [illegible]
ro, Demoſthene, Vergilio, Criſpo, Terentio,
Plauto, Ouidio, cæteriſque aliis quid loquar?
quid de Cæſare? quid de Tullio? cui ſoli me-
Auguſtus lius fuerat non habere. Quid de Auguſto, qui
nec adopti- nec adoptiuum bonum filium habuit: cùm
uũ bonum illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus. Fal-
habuit fi- ſus eſt etiam ipſe Traianus in ſuo municipe
lium. ac nepote deligendo. Sed vt omittamus ado-
ptiuos, veniamus ad genitos. Quid Marco
felicius fuiſſet, ſi Commodum non reliquiſ-
ſet hæredem? Quid Seuero Septimio, ſi Baſ-
ſianum nõ genuiſſet? hæc ille. Sic Demoſthe-
nes dicebat, à viris bonis quaſi fatis volenti-
bus filios improbos naſci. Sed de his ſatis.

Capvt VI.

Argvmentvm.

Turpia narrâtis commiſſa Greuinckius audit
Vulpis, & hæc memori ſingula corde notat.
Cùm res iratos ſit habere grauiſſima Diuos,
Omnibus hos horis conciliare ſtude.

Per